

RM III 5745

N.

RH III. 543.

D I S P U T A T I O T H E O ' O G I C A

D . E

V O T I S,

Q U A E

F A V E N T E D E O O P T . M A X .
S U B P R A E S I D I O

Plurimum Reverendi ac Celeberrimi VIRI,

D . A N . D R E Æ E S S E N I I ,

S.S. Theologiæ & Phil. Doctoris, illius in Alma Academia
Ultrajectinâ Professoris, Ecclesiæ ibidem Pastoris vigilantissimi,

Pnlicè ventilanda proponitnr,

M . N . 33

M A T T H I A V A R A D I N O , Transylvano,
Die 22. Decemb. loco horisque solitis.



Reg. ac f. dno Donno Andreæ
Lorentziani quondam Praeceptori
Venerando militi

Auth. & Resp.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,

E x Officinâ G I S B E R T I Z Y L I I , Bibliopolæ.

. c i o i o c L x v i .

Nobili,

er. Domino

D. PAUL C BELDI, DE UZON.
Illustrissimi ac Celerrissimi Principis Transylvaniæ, &c. Dni D. MICHAELIS APAFI, CONSILIARIO Gravissimo, intimo; Universorum in Transylvaniâ Militum Campestrium GENERALI Bellicosissimo; Incliti Comitatus Szolnok Interioris COMITI, meritissimo; Trium Sedum Siculicalium SEPSI, KEZDI & ORBAI, JUDICI REGIO Aequissimo; ubique Supremo:

Magno Patriæ afflita Patri; Accerrimo Orthodoxia Defensori, Constantissimo Assertori, Liberalissimo Promotori, Nutrico Ecclesiarum Dei admirando zelo zelanti, Fervidissimo &c. Domino horando, Mæcenati Munificentissimo, ac Patrono piissimo, de studiis meis optimè merito, ac quoad in hoc Fragilitati obnoxio vita Tabernaculo hospitari liceat, semper memorando.

HEROS GENEROSE!

Verecundo admodum rubore, in Generofi Tui Nominis, omni ævo memorandi, Conspectum, immaturus, humilem magè veniam sperans, quā fluxam, fugacemque Vulgi gloriæ umbram captans, prodeo; & cum hoc Chartaceo, humili animi, munusculo, coram Amplissimâ Tuâ Generositate, absens, compareo. Vereor enim nimis, ne fulgentem Tui Generositate Nominis Candorem, rubenti taliter Foetui, præfixum esse, aliquâ fuscâ caligine inumbret. Idque vereor merito, cùm Magnos magna decere, non sim nescius: Hoc verò tam est exiguum, ut, vix, lumine, nedum tali, ut Tuum, Heroico Nominе, dignum sit. Verùmtamen, cùm Pio pectori Generosæ Tuæ Amplitudinis, mens Doctrinæ cœlestis avidissima, innatet, licet Illustrē Generositatis Tuæ splendorem, Tuumq; Patrocinium, Pietatem, Zelum, quibus totum me, Tibi, jam à Quinquennio mancipasti, non attingam: Spero tamen, eādem pietatè, eodem zelo, eādem denique Frontis serenitate, quā M E - I P S V M, Hoc quoque acceptum iri. Ut autem hoc & amplius consequi Valeam: TE GENEROSUM DOMINUM, TUAQUE OMNIA, Divinæ protectioni transcribo:

Me vero, & has studii mei Theologici primitias, in sincerum gratitudinis, Symbolum

VESTRÆ GENEROSITATI,

M. ACADEMIA
KOBYVTARA

Inscribo, Offero, Consecro,

MATTHIAS VARADI,
Author & Respond.

D I S P U T A T I O T H E O L O G I C A
DE

V O T I S.

T H E S I S I.

M. A. 83.

Multi admodum sunt peccatorum insolentium sc̄tūs: multa pravi cerebri figmenta, apud omnes superstitiones: pr̄sertim apud Turbulentum Gregem cornutorū Pontificum, sutiliter jāctantur, quē magnam divæ Sanctitatis & puræ devotionis laudem, sub depictâ larvâ, sibi vendicant, & Traditionum, vel Ecclesiasticorum Cultuum à Deo institutorum nomine, magnificè, contra Divinam *Exodus*, mandatum, & Authoritatem; contra ejus majestatem, & S. S. Litterarum plenitudinem (*Matth. 15. 9. Esai. 29. 13. Col. 2. 22. 23. Deut. 12. 8. &c.*) cuiusmodi *Vota, Vita Monastica; Procesiones Religiosæ; Flagellationes spontaneæ; nudipedalia etiam s. nt*, commendantur. Quæ tametsi omnia, tūm ex Ambone in Templis, tūm ex Cathedra in Academiis, lingua & calamo, à solidis, & orthodoxis Theologiæ Doctoribus, satis superque proclama-ta, prostrata, & refutata ejulent: non tamen dissentaneum duxi, eorum mentem & Argumenta, de Votis saltem, disserturus, novissimè revolvere; & quæ hoc Titulo involvuntur, liberius, pro instituti ratione, paucis, examinare.

II. Frequens Schola Theologorum varias cudit Voti Definitiones, quæ cùm eodem ferè redire videantur, libuit nobis quoque non aliter definire: *Votum est hominis, spontanea & religiosa, rerum licitarum & possibilium, Deo facta pollicitatio, ad animum gratum, officiumq; pium ei testificandum.* Sic tali Definitione posita, hâc Triplici via, rem præ manibus sudantem persequar: I. Causas in Definitione complexas explicare. II. Varias ejus considerationes contemplari. III. Denique Famosa illa Tria Pontificiorum Vota in specie examinare, nitor.

III. Inquirenti igitur *Causam Efficientem*, occurrit homo, qui pro ratione objecti variè quoque considerari potest: In Voto scilicet generali, potest esse quilibet; in speciali vero non nisi I. Qui sanâ ratione pollens, solidi Judicij usum per ætatem amplexus est: quo pacto, Puerorum, suriolorum & Stultorum Vota illegitima censemur: tametsi enim ratione quali quali polleant, quia judicium discretivum prudens & constans à talibus exulat, Vota facere non possunt. II. Vovens debet esse sui juris & autē *Exodus*; ut saltem, quoad rem vovendam, alii subjectus non sit. Secùs enim Votum à talibus factum, juxta *Numer. 30. 4. 5.* irritum fieri potest. hoc tamen Casu excepto: si quis veræ Religioni, se astringere volens, voveat, Tale Votum, nec Celitudo, nec Majestas, nec cuiusqua Auctoritas impedire, & irritum facere potest.

IV. *Materia Voti præcipue*, in rebus vovendis, seu quæ voventur, considerari;

potest: quæ, ut Votum firmum & bene fundatum sit, in his sequentibus consistit: 1. Fiat tām de faciendis iis quæ Deo placent, quām iis omittendis quæ displicent. Placent autem ei maximē illa, quæ in specie ab ipso præcipiuntur; juxta quod fieri debere omne votum, sequentes rationes suadent. 1. Q. non minus improbanda est εθελοθρησκεία, i.e. Voluntarius Cultus, in Votis, quam in universo cultū Divino, *Deut.* 12. 8. & *Col.* 2. 22. 2. Q. in sanctis quoque talis Voti luculentum extat exemplum; ut in Patriarcha Jacobo: qui verum Deum, non vero alienos, se culturū vovit, *Gen.* 28. 20. At hōc sub præceptū, *Exod.* 20. *Deut.* 5. exhibitū, cadit. Similiter *Anna*, 1. *Sam.* 1. 11. vovit se Deo daturam, si modo ejus recordando, semen daret: at hoc lege à Deo, *Num.* 8. 16. exhibitā, sive quā *Levita*, sive quā *Primogenitus* esset, *Sanctum Domini* erat, & debebatur. 3. Q. De aliis quoq; Votis, eorumq; modis satis clare, Deus ipse, quid fibi placet, exprescit. *Lev.* 27. à vers. 2. ad 24. Dixi præterea paulò superius, Votum quoq; fieri debere, de omittendis iis, quæ Deo displicant: quænam autē illa sint, ea etiā Deus *Lev.* 22. 23. & *Deut.* 23. 18. clarissimè exposuit. Neq; hic quis putare debet, ob id, quia vi & naturā Præcepti, obligamur ad aliquid faciendum vel omittendum, obligationem per votum denuō factam, esse & fieri supervacaneā. Tum 1. Q. bonum bono additum facit majus bonum. 2. Q. magis excitat nos ad præstandum debitum officium. Nec præterea quicquam absurdī sequi putamus, ex eo, si vel novam obligationem, vel prioris renovationem nobis objicientibus concedere velimus.

V. Fiat 11. de Possibilibus: quæ hīc Possibilitas tum Subjectiva, tum vero Objectiva spectari potest. Et certe stultum homini foret vovere, quæ activitatis sui sphæram transcenderent: ut sit in Voto Continentiæ, ubi istud donum non existit: Sic etiā vovere unā nocte ex Belgio in Hungariam, remotam per bellę Regionem, transmigrare, pedibus in Indiam contendere, volare, res vesana est. 111. Fiat Votū, non de rebus simpliciter necessariis; ut quæ citraid quoque sunt res Fatales seu inevitabiles. Sic mori. &c. res inevitabilis juxta *Hebr.* 9. verū de rebus arbitriis & nostri iudicii fieri debet. 1v. Fiat etiā de rebus mediis & indiferentibus, si scilicet inde gloria Dei, & nostri aliorumque salutaris ædificatio exurgat. v. Fiat de rebus talibus, quæ naturā sua non sunt malæ: nec enim propter id *Matris Mice Iudic.* 17. 3. Votum Deo gratum esse poterat; ut & *Judeorum* de Pauli interitū Votum voventiū, *Act.* 23. 12. Deo fuit odiosum. Sic nec Pontificiorum Votum Deo fore gratius puto; quo imaginum, & Reliquiarum cultum, nec non Sanctoū invocationem, vovere præsumunt: ut & quo a Dei Sanctissimis Præceptis ad *Garamantas* abducuntur iniquē: ut sit in Voto illo triplici; de quo, suo loco fusilius in specie agemus. Sed nec majus bonum impediri debet: quod impeditur reverā, dum inepti prorsū reddimur ad omnia officia, tum quæ pauperibys, tum quæ parentibus, tum quæ proximis deberemus, præstanta; ut sit præsertim in iisdem Religionis votis. vi. Fiat denique non de Tricis leviculis, rebus titivillitiis, nullius frugi, momenti, & vanis; quælia sunt inter vulgus frequenter: Templum, vel

vel ipsum met bustum, nocte ingredi; Veru eò deportare; Tumulo infigere; aliquid indidem exportare; Fossam transilire; mensuram certam vini (cum floribus vulgo dictis) exaurire, &c. Eò ipso enim nomen Dei Sanctissimum prophanatur temerè; cùm voto non possit non inesse religiosa invocatio.

VII. Forma Voti in Spontaneitate & Religiositate statui potest: quatenus scilicet homo, non coactè, sed ultrò, sponte suâ & liberè; imò religiosè, sanctè, se & suum Officium Deo pollicetur. Additur verò religiosè, ut non tantum à simplici mentis proposito, sed & ipsâ vulgari promissione distinguatur. Sed specialius voti hujus Formalitas, in hisce sequentibus consistit. 1. Debet ex certo & deliberato consilio fluere; ne ut illud *Iephæ*, *Judic.* 11. 32. 33. *Saulis*, 1. *Sam.* 14. 24, 29, 30. & *Israelitarum*, *Judic.* 21. 1. -- temerarium fiat; ut & hodiè inter Pontificios multa vota, cum maturo judicio non suscipiantur, ab illis scilicet, qui violenter, invitatis quoque parentibus extorti, monasticam vitam profitentur, temeraria sunt. 2. Debet cum magnâ divini nominis reverentiâ fieri; idque propterea quòd in talibus votis, religiosè, Dei Sanctissimum nomen, & si non explicitè semper, saltē implicite, invocari soleat. Unde, errante conscientiâ referri ad sanctitatem & Religionem, quæ eò non pertinent, ut Tria illa Vota Monastica, Item Vota Peregrinationis, verissimè, concludo.

VIII. Sed & Finis Voti venit examinandus: quô scilicet nostram animi, ultrò citròque jactati, commoti, synceritatem testatam, promptaque officia, erga Deum, testata facimus, ad ipsum synceriori, & pleniori animi affectu colendum. *Specialius:* Omne Votum propter hunc triplicem finem sit: I. Ut homo gratitudinem suam, pro beneficiis acceptis, Deo testetur. II. Ut mediante virtutum exercitatione, se adversus peccata præmuniat. III. Ut fidem, poenitentiam, & obedientiam foveat. Unde etiàm Pontificii, anguillarū instar elabentes, finem Voti ulteriùs promovent, ac Cultum esse verè necessarium, & apud thronum gratiæ meritorium, erranter, & falso opinantur. Nec enim omne Votum, pro effienti partē Cultus à Deo instituti habendum est; et si quædam sic.

VIII. Hic ullum dari Votum, pro parte Cultus Divini habendum, nec simpliciter negavi; nec tamen in adversorū malas deflecto me partes. Verè enim datur tale votum, quod Cultus à Deo instituti, verè pars statuitur. Cujus rei veritas ex istâ Distinctione sic patescit: Omne Votum vel pro *Moralis obedientia*; vel *Ceremonialis*; Vel *Rerum externarum* pollicitatione sumitur. In prima notione usurpatum votum, verè esse, fuisse, ac semper Cultum Deo gratum futurum non est dubium. At in secunda notione usurpatum, et si in V. T. œconomiâ pars divini Cultus fuerit; tamen ejusmodi rerum Ceremonialium & Sacrificiorum Vota, nec simpliciter, quâ talia, nunc imitari nos debere, nec pro parte aliquâ Cultus divini haberi, constanter affirmo. 1. Q. Nobis è Gentibus oriundis & sub Euangelio degentibus, nihil quicquam istarum Ceremoniarum commune cum Judæis est. Sunt enim per Christum abrogatae. 2. Q. Nullibi in Sacris, Judgeorum eorundem Ceremoniæ, nobis sub isto titulo com-

mendantur. 3. Q. nec respectus ille specialis, quo illi, Vota talia faciebant, Populum N. Test. attingit. Illi enim in illa Terrâ Patribus promissâ, fideles Dei Coloni esse debebant; & subinde vovere.

I X. Verum, solent hîc Esaiam Prophetam cap. 19. 21. protrudere dicentem: *In illo Tempore agnoscet Agyptium Iehovam, & vovebunt ei vota &c.* Et hinc Vota cérémonialia fieri debere, & nunc in N. Test. concludunt: Q. Esaias de tempore revelati Euangeli loquitur. In quo loco, concedimus Prophetam de Euangeli tempore loqui. Sed de Ceremoniali cultu, in illo tempore fieri debito, sermonem ibi esse, negamus. Deinde Ecclesia N. Test. vovet Deo vota, sed de rebus moralibus, cultum scilicet, sub hac œconomia, debitum. Quæ, siquidem nos in pietate juvent & promoveant, ab iis desistendum non est. Obj. 2. Divus Propheta David, *Psal. 76. 12.* ait: *Vovete vota & persolvite ea Iehovæ.* Ergo N. Test. Fideles quoque vovere debent. Resp. Illud mandatum propriè & proximè Judæos spectabat. 2. Vovere ibi pro laudibus & gratiarum actionibus lege morali debitis, intelligitur, ut ipse *Psal. 56. 13.* exponit. Sed non de tali voto hîc nobis sermo est. Porrò in *Tertia* notione, scil. cum Votum rerum externarum pollicitationem significat, subsidium duntaxat & admiculum Cultûs divinitutis instituti, *tum* in V. *tum* in N. Test. habitum fuit, est, & erit habendum.

X. Jam ex tali examine Voti, quale in *Causis* factum est, *tum* erroneam *nnonnularum* singularis meriti opinionem, nec non spem vacillantem, Deum independentem, liberrimum Dispensatorem, ex debito obligantem, cecidisse videamus; *tum* excitati, ulterius promovemur, ad inquirendum illud *Objectum*, cui simpliciter Votum fieri, & nuncupari debeat. Et, Q. Solus ille Deus ~~zægdiyyâsh~~, cordium Scrutator; Consiliorum Indagator, *Ier. 17. 10. Rom. 8. 27. Apoc. 2. 20.* prædicatur; Cùmque nemo præter eum, Votisfragis peñas spirituales & æternas infligere, & sic ultiō sumere, potens sit, ipso solo Vindice Scelerum acerrimo existente, *Hebr. 10. 30.* &c. Præterea cum voto R eligiosa in vocatio insit; ac proinde SS. Litteræ, hunc actum Soli Deo deferri debere, clarissimè evincant. *Psal. 76. 12. Num. 30. 2. 3. Dent. 23. 21. 23. Psal. 50. 14. Esai. 19. 21.* Sanctorum quoque exempla idem doceant. *Gen. 28. 20, 21, 22.* Idem quoque Solus Deus; non verò Angeli, non sancti viventes & demortui (quod Papanæ Ecclesiæ delirium est; quò ipsò cœnum Idolatriæ turbidum, non sorbere, se excusare nequeunt) Objectum genuinum Voti, verè statui potest, & debet.

XI. Dico quippe; & ingenuè, actum Voti, Angelis & Sanctis quibuscumque fieri debere, diffiteor. I. Q. est *Actus* cultûs religiosi: vel (ut cum illis loquar) *Latriæ*: Thoma sic definiente. II. Q. Lombardus quoque, *Spontaneæ promissionis Deo factam pollicitatione*, definit. *Libr. 4. dist. 88.* Cui etiam Bellarm. alludit; cum Votum, *Religiam & Deo factam promissionem*, fatetur. De Monach. *cap. 14.* Ergo vel ex corum mente, hunc actum Soli Deo deberi, dubium non est. Si quis vero id tentare ausit, quod Sanctis etiam Angelis, præter Deum, talem actum deferat, se aper-

tum & prophanū idololatrā, palam fateatur oportet. Sed ecce hominis astutia! ne ex ejusmodi cœno haurire, quod tamen verè sorbillant, videantur, *Thomas*, duram hanc sibi humero provinciam imponens, eorum vice, tali male fabricatâ distinctione, effugium querit; Distinguendum est, inquit, inter promissionem quæ est Voti *Materialē*, & Votum ipsum *Formaliter*: Scilicet ipsam promissionem Angelis, Sanctis &c. fieri posse; Votum verò Soli Deo. Verum ultrò, istud corruere necesse est.

1. Q. hâc distinctione admissâ, etiam Sacrificium Sanctis materialiter, tanquam proprio termino, poterit offerri; quod est idolatricum. 2. Q. Cajetanus *Tom. 2. quæst. 88. Art. 5.* & Bellarminus De Sanct. Beat. libr. 3. cap. 9. hic acerrimè sibi invicem contradicunt: cum *hic*, *Non eadem ratione fieri Votum Deo & Sanctis*: Ille, *Eadem ratione fieri debere Votum Deo & Sanctis*, statuat. Priùs itaque inter se convenient, antequâm nobis, persuadeant, oportet. III. Sanctis deferri hic actus non debet; Q. de tali voto, Sanctis Angelis faciendo, (ipso Bellarmino fatente, in definitione ejus superius datâ:) vel unicum verbu, quod ipsis patrocinaretur, in Scripturis non reperitur. Cum verò sic excipiunt: *Votum Sancto nuncupatum in Deum redundat*. Ad hoc R. Est pallium nefandæ idololatriæ, impiam consequentiam sub se fovens. Ita enim omnes Latriæ actus craeturis, sub specie honoris divini, exhiberi possent.

XII. Atque sic Voti naturâ, ejusque Objecto genuinô, cognitis: Varia jam consideratio speculanda occurrit. Consideratur igitur vel in ordine ad omnes fideles *Universaliter*. Vel ad certos quosdam *Specialiter*. Quantum ad *Primum*: Illud ab omnibus fidelibus, in Sacramento initiationis, solet nuncupari, in quo, Diabolo & mundo abrenunciantes, nomen Christo dare, ac soleniter Deo se obstringere solent. Idque pro diversa Fœderis Euangelici administratione, diversimodè. Scilicet in œconomia V.T. Votum ipsum per circumcisionem: ipsa verò plenior confirmatio, Voti, per agni paschalis elionem fiebat. In œconomia verò N. Test. Votum hoc Generale, per Baptismum in Christi sanguinem: ipsa verò iteratio & confirmatio in Cœna Dominica fit. Et hoc Votum, *1. Petr. 3. v. 21. Stipulatio bona Conscientie dicitur*. Nec quicquam naturalis obligatio; vel illa, quæ ex Dei mandato fluit; vel quæ ex hâc jam stipulatione, in Baptismo consideratâ, oritur, novæ stipulationi, in Specialibus votis, factæ, præjudicat (ut etiam supr. Thes. IV. monui:) quin fieri debeat, vel possit. Hâc namque ratione, nostra imbecillitas stabilitur, fumigans zelus accentdit, inque præstandis proximo officiis, gelida Charitas ardenter redditur.

XIII. Quantum ad *Secundum*: hoc solummodè à quibusdam, in specie, ex certâ & speciali causâ nuncupatur. Commodè itaque huc revocari possunt, *1. Judæorum Vota*, de Ceremoniis & Ritibus, ad Cultum divinum pertinentibus. *1. Qualem* erat Votum Naziræorum, citra singulare Dei mandatum, sponte suâ, se ipsis obligantium: *Num. 6. 1. --- 21. Dico citra singulare Dei mandatum: Q. haec tenus, nullum à Deo mandatum tale extabat*. Sed qui sic erant obligati, ii à Vino abstinere debebant; Capillos non tondere, & similia: & hic jam ritus, in sponte suâ obligatis, necessitatem præcepti habebat. *2. Qualem & illud, cum quis Judæorum, sponte suâ,*

ad.

ad conservationem Rituum legalium, quorum Deus certam Regulam *Lev.* 27. expressit, bona sua conferebat. In quibus adhuc, nullum prorsus fundamentum appetat, Votorum illorum, quæ Pontificii tam magnoperè & acutè, commentant ac depraedant.

XIV. Huc item II. externa quædam corporalia exercitia, in bonum finem, spontè, ex Voto, promissa, revocantur, quæ juxta formalitatem. sup. th. VI. expressam, in utrāque œconomia liberè sunt exercita, liberè etiā modo exercentur. In Vet. Test. sic exercebantur (ut quibusdam videtur) Rechabitæ. *Ier.* 35. qui à vino abstinebant, vineam non plantabant, hortum non colebant. &c. Idque ex præcepto Jonadabi; ut eos mature calamitati ferendæ, qualem in captivitate Babylonica posteri erant laturi, assuefaceret. Maturè tamen hic moneo, cucullatos monachos hoc loco fulciri minimè, propter disparitatem Analogiarum, quæ inter Votum Rechitarum, & illorum, intercedit: ut suo loco videbimus. In œconomia N.T. quoque corporalia exercitia, ut Rechitarum, et si non *Formaliter*; tamen materialiter: imò & ipsorum Naziræorum Vota, licet *Formaliter* voveri non possint, cum aliquid Typici involverint, tamen *materialiter* voveri possunt: servatis scilicet conditionibus ad id requisitis. Sic hos vel illos redditus, hanc vel illam pecuniam, Voto solenni Eleemosynis destinare licet. Sic ad aliquam rei licitæ abstinentiam: ut vini, in ordinario vieti, &c. se voto obstringere licet. Sic fas est certum aliquem diem voto designare, non simpliciter & superstitione; verum ut omnis generis pietatis exercitia: inter quæ preces, tanquam duabus alijs Jejunio & Eleemosynis, stipatae, principes sunt, in eo fieri possint, ad gratitudinem Deo, propter aliquod singulare beneficium, præstandam.

XV. Sed & ratione modi Votum hactenùs sic explicatum, ac divisum, haud in concinnè & inutiliter in considerationem ulterioreni venit: 1. Qua, *Aliud* ex conditione aliquâ suspenditur; Aliud omni prorsus conditione caret: undè illud *conditionale*; hoc *Absolutum* dicitur. Ad primū refertur illud Jacobi Votum: *Gen.* 28. 20. 21. Item Annæ, 1. *Sam.* 1. 11. Sic Israëlitarum, *Num.* 21. 2. & Jephthæ, quamvis temerarium, conditionale fuit. Cætera pcenè omnia Votorum exempla, in Sacris occurrentia, ad *Absolutum* referuntur; ut sunt Saulis, 1. *Sam.* 14. 24. Davidis, *Psalm.* 22. 26. & 61. 9. & 66. 13. 14. Nautarum, *Ion.* 1. 19. Pauli, *Act.* 18. 18. Judæorum, *Act.* 23. 12. 14. II. Qua *Aliud* verbis clarè prolatis, *Aliud* animo tantum concipiatur. Sic *Hanna* in animo vovebat Deo; 1. *Sam.* 1. 13. Reliqua omnia ferè ad prius genus referri possunt.

XVI. Quantum verò ad durationem attinet, quædam vinculo duntaxat temporario, quædam autem per omnem vitam durante obstringunt & obligant: illa (ut in Naziræis) *Temporaria*; hæc (ut in Rechabitis) perpetua dicuntur. Prioris exemplum etiā est in Paulo, *Actior.* 18. 18. &c. Posterioris in Davide, *Psalm.* 24. 2. 3. &c. Sic nostri sæculi homines hodiè vovent perpetua vota Deo servanda; quæ tamen (contra generale illud in Sacramentis) ratiora sunt, quam *Temporaria*: Illa ut plurimum in

in Absolutis; hæc in Conditionalibus fieri solent. Verum h̄ic queritur: I. An Absoluta & perpetua Vota, aut simpliciter irritari, aut secundum quid in aliud mutari possint? 1. *Ad Primum* membrum, Resp. Ejusmodi vota, legitimis conditionibus fundata, Tunc citra nominis divini irreverentiam; cum religiosa Dei invocatio eis insit, pari pœnè ratione, ac juramentum, irritari; Tum citra apertorum Dei verborum, læsionem, ejusque mandatorum everzionem, solvi nequaquam possunt: quæ difficultius, ac Cœlum & Terram, præterire, necesse est. Ergo aut Votum non fiat; aut si fiat, juxta hæc Dei mandata, religiosè servetur, oportet. *Vovete, sed etiā, reddite Domino Deo vestro;* Psal. 76, 12. *Si quid vovisti, ne moreris reddere Deo,* Eccl. 5, 3. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labiis Tuis, observabis; & facies sicut promisisti Domino Deo Tuo.* &c. Deut. 23, 22, 23. Sic exemplum est in Jacobo. Gen. 28. Item in Anna, 1. Sam. 1. &c. Sed nec Deus hoc inultum relinquere solet: ut in *Ananias & Saphirâ*, propter Voti retractationem intereuntibus miserè, clarum exemplum proponitur. Nec autoritatem istam, Vota scilicet legitima faciendi irrita, quisquam Creaturarum rationalium sibi vendicare potest; licet Pontificii, eam Papæ adscribere velint. Nuda namque Creatura cùm sit, ejus potestas ad dispensandum, de obligatione Deo facta, extendi nequit. 2. *Ad secundum* membrum Resp. *Affirmatio:* Scilicet potest quis Vota prius Deo facta commutare in Alia: ea interim lege, ut ne fiat temerè; atque illud, in quod prius mutatur, melius sit, & sic contineat quod prius erat promissum. Ita enim excellenter solvere Votum, infringere non est. II. *Queritur:* An nullo modo à votis poslit quis liberari? *Resp.* Potest juxta Regulam: *In male promissis rescindere fidem.* Nee enim hominem fidelem, obstrictum manere vinculo iniquitatis decet; sed de virosis Votis, pœnitentiam agere. Modi verò, quibus à Votis liberari possumus, pœnè sunt hi: *Vel* si res, de quâ Votum erat factum, fiat impossibilis, inutilis, & majoris boni impeditiva; *Vel*, si Voti conditio deficiat; *Vel*, si res, de quâ vovemus, ab alterius potestate dependeat, & is consentire nolit: quô posteriori modo, & Mariti Uxorū, & Parentes Liberorum Vota, irrita facere possunt, juxta Num. 30. 4, 5.

XVII. His ita positis & examinatis; prout instituti ratio requirit de aliis quibusdam, hoc nomine venientibus agere, progredior jam demum, ad Tria illa Famosa verae ac Orthodoxæ sententiae, in superioribus haec tenus satis explicatae, penitus repugnantia, Pontificiorum vota: ut sunt, Votum continentiae, Votum paupertatis; & Votum Regularis obedientiae: eaque in sequentibus paulo pressius examinabo. Ut autem serenior lux in iis, suos exercere radios possit. I. Generali quâdam Descriptione, eorum naturam depingere. II. Depictam ex suis Causis, sejunctim, eo, scilicet, quo occurrent, ordine, examinare, nitor.

XVIII. Vota igitur illa Pontificia, sunt Promissiones, de rebus, tūm voventi impossibilibus, tūm cui vovetur invisib. à Personis, ut plurimū nō liberis, illegitimè Deo factæ. In quâ Definitione, Tres præcipue conditiones, quo cæteræ quoque facile revocantur, occurunt. Juxta quas, tanquam Lydios lapides, *Primum VOTUM* scilicet,

scilicet *CONTINENTIÆ*, quæ quis *Matrimonium* in *perpetuum* abdicat, & *virginitatem* *perpetuam* Deo vovet, sic potest examinari. I. Quod voventi est impossibile; quod Deo invisum; de iis à Personis alieni juris, factum Votum, non est legitimum. Sed Votum *Continentiæ* de rebus Voventi impossibilibus; Deo autem invisum; à Personis alieni juris, sit. Ergo votum *Continentiæ* est illegitimum. *Major* probatione indiget nulla. Legitima namque voti hæc Tria præcipue sunt requisita: 1. Ut sit de possibilibus, non quæ sphæram activitatis, voven-
tis excedant. II. Ut Deo sit gratum & acceptum; idque fit, si expresso *Sacratissimæ Majestatis* suæ mandato non adversetur, ut supra thes. IV. V. VI. videre est. III. Ut sit Persona vovens sui juris: ne scilicet votum irritum habeatur. Exemp. *Num.* 30. 4.
5. Quod ad *Minorem* attinet, eam per partes eo probatum.

XIX. *Primum* igitur membrum *Minoris* sic probatur. 1. Qui vovet per-
petuam *Continentiam*, Is frequenter sibi impossibile vovet. Sed *Pontificii*, &c. Ergo. *Major* facile probatur. Quia *Continentia* est tale Dei donum, cuius non
omnes sunt capaces, nisi demum illi, quibus cœlitus datum est; ut diserte
Servator noster loquitur Matth. 9. vers. 11. Nec juxta illud: *Matt. 7. vers. 7.*
Petite & accipietis &c. Deus hanc continentiam omnibus est indulturus. Nam,
promissio divina, de bonis communibus & ad salutem absolutè necessariis, sonat
ut sunt: Fidei, & *Sanctimoniarum*, Perseverantiarum, Peccatorum remissio, &c. At
Continentia, *Celibatus*, *Bona valetudo*, &c. talia non sunt: sed specialia. Er-
go. Nec omnibus, etiam si sunt Electi, & pro virili suâ allaborent, hoc Do-
num continentia datur. Quia gratiæ gratis dataæ (ut est donum continentia)
ex nostrâ electione, nostro studio non pendent, seu nostrâ electioni non ma-
gis subsunt, quam dona Miraculorum & Prophetiarum: quæ omnibus Commu-
nia non sunt. Nec aliam ob causam Divus Paulus Juniores Fœminas nubere
jussit. 1. *Tim. 5. vers. 14.* quamquid videret, non omnibus æquè esse datum,
ut cœlibes manere possint. Dicit enim: *Unusquisque donum suum habet a Deo:*
Adedique non facile ab omnibus impetrari etiam precibus. Sic Paulus ter ob-
noxie, propter carnis stimulum, Satanæ nuncium, à se removendum, orans, votum
non non obtinuit; quia ardens petitio, non in Objectum, simpliciter ad
salutem necessarium & Commune: sed in Speciale & proprium serebatur.

XX. Secundum membrum *Minoris* sic probatur: *Quod* Dei mandato &
Conscientiæ Libertati contrariatur, id proculdubio, ipsi Deo est Invisum, &
Christianis tædiosum. Sed hoc Votum continentia, &c. Ergo. *Major* vera est.
1. Ratione Dei: Q. cum Deus propter Sanctitatem, bonum duntaxat Forma-
liter velle possit, & quod vult mandet; proinde malum, quod bono est con-
trarium, odisse, ac ei maximè esse invisum, necesse est. 2. Ratione Christiano-
rum: Q. duplex ærumnæ est, semel partæ per Christum libertate, iterum
privari, ac *Conscientiæ* vinculis auctoratum teneri. Jam hujus Argumenti Pro-
positio secunda seu *Minor* probanda nobis incumbit: quæ sic habet: Votum
con-

continentia, in quibusvis Dei mandato contrariatur. Cujus Veritas, in sequentibus probe potest demonstrari. 1. Q. Disertum mandatum extat; ut *Unusquisque suam Uxorem habeat*. 1. Cor. 7. 2. Et vers. 9. *Quod si se non contineat matrimonium contrahat: nam melius est matrimonium contrahere, quam ulti.* Quæ verba Apostoli. 1. Non tantum permissionem, verum ipsissimum Dei mandatum continere, verè colligitur. Ne enim Spiritus Sancti scopus alius est, in hoc toto capite, quam necessarium remedium adversus incontinentiam præscribere. Proinde non verbis *Permissionis, sed mandati*, utitur. 2. Verba ista Apostoli tam late extenduntur, ut ambitu suo, eos, omnes comprehendant, qui ulti obnoxii sunt; sive illi sint Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sive alii. 3. Verba ista specialiter, de illis etiam, qui se ad Cœlibatum adstrictos forte reputarit, generaliter prædicantur: quod vel ex vers. 35, cum 37. evidens est. 2. Eadem *Minor* sic verificatur. Q. Votum perpetui cœlibatus, primitivam illam Dei institutionem, qua Marem & Fœminam conjugio junxit. Gen. 1. 27. 28. & 2. 21. 24. evertit; medium, non modo propagandi generis humani, sed & ipsius Ecclesie Dei, ab ipso Deo sapienter ordinatum, tollit. Spiritu Sancto, *Conjugium honorabile dicenti Hebr. 13. 4. ad os contradicit: Quod & ipse Spiritus Sanctus, omnis veritatis fons, talione cedit;* etenim per Divum Paulum 1. Tim. 4. 1. *Doctrinam Demoniorum* appellat.

XXI. Eidem *Minori* ulterius probandæ. III. Nubes exemplorum, tū n. Veterum Nov. Testam. inserviunt. Q. In Veteri Testamento, Patriarche, Prophetæ, Sacerdotes, Levitæ; In Nov. Testam. Apostoli, Euangelistæ, Episcopi. 1. Cor. 9. 5. 1. Tim. 111, 2, 4, 5. Tit. 1, 6. in matrimonio vixisse, insuper, passim in SS. Literis commemorantur. Quæ omnia, etiamsi Deus Sapiens, literis signari voluerit, Papatum tameret, istiusmodi Cœlibatus Votum, petulanter, & inique, eversum ire conatur. Ex quorum conjugatorum numero, minimè Petrus Apostolus, quem illi Primum Pontificem Romanum fuisse volunt, eliminandus censemur. Cum ei diserte, Scriptura. S. Matth. 8. vers. 14. Uxorem tribuat. Qui suum conjugium, eō ipso, quia Matth. 19. vers. 27. dicit: *Ecce reliquimus omnia, &c. non est, abrupte, putundus.* Eō enim factō, Christo taliter docenti. vers. 6, *Itaque non amplias sunt duo, sed una caro:* *Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet.* obnoxie contrariatus fuisset. Reliquit ergo, Uxorū usum tantisper, non verò Uxorem prorsus. Si verò, quia dicit: *Omnia, nihil sit excipiendum, dieendum erit, quod, etiam ciborum, vestimentorum, &c. usum reliquerit.* 2. Ipse quoque Christus, id absolute non postulavit, ut propter suum nomen Uxor & liberi relinquerentur: sed illa solum, quæ eorum zelum extinguerent, pietatem retardarent, & illos, nosque simul impedirent, quod minus Christum sequeremur. Deinde si quis adversarius urgeat: Petrum ab Apostolatu Filios genuisse, non posse ostendit. Facile R esponderet. Ridiculè concludit: non legitur. Ergo non genuit. 2. Itiam si affirmative constaret, eu Filios non genuisse; nec tamen concluderetur: Uxori suæ non cohabitasse, cum non omnes homines, etiamsi sint Fideles, in Conjugio viventes, liberis augeantur. Nec secùs

de Philippo Evangelista sentiendum: qui Filias etiam Viris tradidit; referente Clem: Alexandrino, Strom. lib. 3. Hoc Adversarii cum negare erubescant, audacter singunt, eos post Apostolatum Uxoribus non esse usos. Veium & hic latibula quærentes, in foveam cadunt. Disertum enim Paulinum præceptum extat, 1. Cor. 7. 5. *Nefrandate alter alterum, nisi ex consensu ad tempus.* In quod ipsimet Apostoli impingissent, si uxores post Apostolatum prorsus deseruerint: quod dicere est iniquum.

X X I. Sed & reliqui Apostoli minimè sunt excludendi; ut sunt Fratres Domini, Johannes & Jacobus; qui uxores suas circumduxeré. Item Paulus, saltem quatenus ipsi uxorato esse licuit, (nec enim actu fuisse conjugatum, magnopere contendimus) & similiter ac aliis Apostolis uxorem habendi potestas fuit data; cum ipse de potestate, sibi ac Barnabæ, mulierem secum circumducendi, etiam concessa, 1. Cor. 9. 5. loquatur. Qui locus, frustra, ipsis Pontificiis, quorundam partim novorum; partim in suspicionem attractorum; partim suis affectibus indulgentium Interpretum, auctoritate, nixis, detorquetur in talem sensum: *Intelliguntur hic, inquietum, per mulierem, pia matrona & fideles foemina, ut Ancille Dominis suis servientes, que Sancta ipsorum vita allecta, eos ultrò sequebantur.* 1. Namque vetustissimus illorum omnium, inter Græcos, Interpres, Clemens Alexandrinus, à nostris stat partibus; taliter inquiens: *Paulus certe non veretur, in quadam Epistola, suam appellare Conjugem; quam non circumferebat, ad Commoditatem ministeri sui.* Tertullianus vero Latinorum Interpres, taliter: *Licebat & Apostolis nubere; & uxores circumducere licebat.* 2. Quia honestati, talis interpretatio non satis convenit. Si enim Apostolus de alienis mulieribus, sic dixisset: *Quod si majori cum Barnaba oneri Ecclesia esse vellemus, mulieres quedam focarie, circumducende & publicis sumptibus alende essent;* Quomodo finistram, de se, aliorum suspicionem avertissent satis? 3. Noe mulieres pari modo, ac Christum, eos sequebantur: Christum namque comitantes Matronæ, ipsum, ejusque Discipulos, ex bonis, quæ eis supperebant, alebant. At si de talibus & tam divitibus matronis, secum circumducendis, quæ necessaria sibi suppeditassent, Paulus suisset locutus, iste casus lexamini magis, quam oneri, Ecclesiis suisset. Præterea, Apostolus de ordinario Comitatu loquitur. At Christum mulieres extraordinariè comitabantur; quod vel inde colligitur: Q. Mirabantur Discipuli, eum cum muliere laquei. Joh. 4. 27. Denique Christus, candem semper Regionem peragrabat. At Apostoli diversas, magna itinera perficiendo. Proinde Comitatum quoque oportuit esse parvum, & quidem talem, qui aliorum columnæ obnoxius non esset. Ex his igitur jam (quæ triplici argumentorum Classe, duabus proximè precedentibus thes. sunt comprehensa) omnibus, Votum istud Continentię, seu Cælibatus, sacratissimo Dei verbo contrariari, certissime concludo.

X X III. Neque aliud agere, quam oleum & operam Adversarios perdere, puto; cum in SS. Literis hoc cælibatus Votum, fundatum esse, contendunt. 1. Enim Sacerdotum & Levitarum Exempla nihil illos juvant: quin imò apprime in hostes Conjugii retorquentur: Si namque Sacerdotibus Leviticis uxoratis esse licuit, in quibus

bus, tanquam Christi Typis, magna puritas requirebatur; quid nō ministris N. Test. liceat? Sed *Inst. Exod.* 12. *Iubentur* Agnum Pascalem comedunt, renes suos accingere. Ergo. R. Inde nihil amplius concluditur, praterquam quod, Agnum Paschalem prima vice comedunt debuerint esse parati, sive accincte ad iter suscipiendum, & egrediendum ex Aegypto. Deinde si omnino exponemus allegoricē, concludetur solummodo, quod Conjugalem Castitatem pra se ferre debuerint, & inordinatorum appetitum frumentum manibus tenere. Alias enim Conjugati ab Agni Paschalis esu arceri debuissent. Similiter, *1. Sam.* 21. 4. Sacerdos Abimelech, Davidi & ejus viris panē Sacrum daturus, nū à mulieribus sibi cassis, inquisivit. Verū nec inde sequitur, Conjugii usum per se moraliter impurum esse, vel illicitum: Ac proinde Sacerdotibus & ministris ab illo abstinentiam esse. Sic namque sequeretur illos Sacerdotes uxoratos (quibus ille panis ordinarius cibus erat) eos comedere non potuisse unquam. Sed insuper violenter, & per Consequentias longā serie deductas, dicitur: Sacerdotes, panibus sacris vescentes, Sacrum administrantes, certis quibusda diebus abstinebant. Ergo ministri N. Test. perpetuā abstinentia debent. Falsum præterea Adversarii fundamentum sternunt: scil. Vitam Conjugatam, tantā Sanctitate & puritate carere, quantā munere Sacordotali esset digna: per Ecclēsios eduentes; Ergo vita Conjugata, muneri Sacrificandi, orationis studio, Curāque Pastorali obſistit. I. Q. Aaronem summum Sacerdotem reliquaque Levitas, Viros Sacratissimos, vita Conjugata, à nullā specie officii sacri prohibuit. II. Q. In Nov. Test. quoque vita Conjugata Christi Apostolos ab omni pietatis exercitio non prohibuit; in Pastorali cura remissiores non fecit. Ergo.

XXIV. Nihil etiam stringunt, quæ loca, ex Doctrinā Apostolica objectare solent. I. Namque *Tit.* 1. 8. Cum Apostolus, Episcopum, seu Presbyterum, Inculpabilem, Temperantem. &c. *Continentem* esse vult: eō ipso à matrimonio abstinerere non jubet: imò contrā, tanquam legitimū continentiae medium, voce: *Continentem: Matrimonium, inclusit*: quod vel indē probatur: Quia quem *verf.* 8. dicit, esse debere *Continentem*: Eundem vult sup. *vers. 6.* *Unius uxoris virum, liberos habentem* &c. Porro *Continentia Matrimonio* non opponitur; quę tam in Conjugio, quam extra illud, locum habet. Theophylactus quoque ad illud: *Continentem* ita scribit: *Non solum in Cibis, verum etiam, lingua, manu, oculis impudicis imperium exercentem: in talibus enim regendis & coercendis, vera est Temperantia, sive Continentia.* II. Urgent. 2. *Tim.* 2. 4. Sacerdotes, seu Ministri, negotiis mundanis implicari non debent. Ergo nec matrimonio studere. Sed hic suō se gladio jugulant: Sacramentum (ex eorum mente loquor) rebus profanis & mundanis intermiscentes. Nos vero negamus, per negotium mundanum, hīc matrimonium, intelligi debere. I. Q. Cornelio à Lapide, teste, *Vita occupationes & negotiaciones*, illæ sunt, *quibus victum, vestitum, & reliqua ad vitam tuendam opportuna, comparamus & conquirimus*. Quare usque ad vinculum Conjugii, non magis, nunc quoque, extendi debent; quam in *Vet. Test.* Sacerdotib. & Prophetis, negotiis sacerdotalibus, et si non

occupatis: tamen usum Conjugii habentibus. 11. Q. Si nemo militans, negotiis sacerdotalibus (h. c. ut illi volunt, Conjugii difficultatibus,) se implicare debet. Et omnes omnino fideles, suô sensu, Deo militent. Ergò sequitur, omnes omnino fideles in Cœlibatu vivere debere: quod ridiculum. 111. Sed & ridiculè, ex 1. Cor. 7. 5. concludunt: Conjugati, usque ad tempus ex consensu, ab usu conjugii cessant, ut melius precibus vacare possint. Ergò Sacerdotes, & alii Sacrae homines, cum orare perpetuò debeat, etiam à Matrimonio perpetim abstinere debent. Nam hic locus, Cœlibatus Pontificii, ingulum magis petit, quam adstruit. 1. Q. Conjugibus, jejunio & precibus extraordinari, vacaturis, licet iterum convenire. Ergo perpetuus cœlibatus inde minimè sequitur. 2. Q. per eandem Consequentiam, Sacerdotes, Monachi, ab omni cibo, ab omni Vini protu abstinere deberent. Nec enim, ad preces extraordinarias, magis interdictur usus conjugii, quam ad jejunia, usus cibi: quæ utraque ab Apostolo comprehenduntur. 3. Q. Per eandem Consequentiam, nulli Christiano uxorato esse liceret. in quia, qua Christianus in desinenter eis, orandum sit ex præcepto Divino. 1. Thess. 5. tum, quia Solennes & publicæ preces, (ut hic intelligi debent) Clericis & Lajcis sint Communes æquæ. Ergo hoc tantum verè concluditur: Clerici, seu omnes Sacrae homines: ut, Sacerdotes, Ministri: &c. magis debent ab usu nuptiarum abstinere, quam Lajci. h. e. extra Ecclesiasticum ordinem constituti. 4. Nullo modo procedit & illud, quod ex loco. 1. Cor. 7. 33. violenter exugere volunt: Scilicet. Sacerdotes & Presbyteri, curare debent, quæ sunt Domini. Ergo eis à Matrimonio abstinendum. Q. falso supponitur, Sacerdotes conjugatos, ea, quæ sunt Domini, non posse simpliciter curare, & per id Deo placere. Secundumnamque tamquam simpliciter malum, Conjugium, exemplis, Patriarcharum, piorum Regum, & Prophetarum, virorum conjugatorum, ex catalogo piorum ac verè fideliūm, elisis, (quod pium pectus adhorret!) in universum foret damnandum. Ergò Apostoli mens est: In vita cœlibe, pietas, & cultus Spiritualis, non tot in volvuntur curis, quam in vitâ conjugatâ: adeoque minus cœlebs distrahitur. Verum ista non est sufficiens causa, cur vel à Sacro ministerio conjugati arceantur; vel matrimonium in talibus damnandum sit. Quia nec matrimonium, qua tale, in causa est, sed ejus adjuncta; quæ etiam aliis commodis pensari possunt.

XV. Solent præterea, pœnè sexcenta ejusmodi loca, ex Christi Salvatoris, & Pauli dictis, arripere, & atrox bellum Conjugio, Sapientis Dei instituto, indicere, apparentes continentiae fructus recensero: quibus nec Christus Dominus, nec S. Paulus cœlibatum istum contentiosum, suadent, laudant & ad eum, quemquam invitant. Quare frustra, Adversarii suum Cœlibatum impurum, Sacra Scripturæ, gratis affixum, nomine specioso continentiae velatum (per quem Clerus Pontificius, omnino turpitudinum inexpurgabilis sentina factus) magnoperè commendant, & orbi Christiano, stigmatis instar, inurere satagunt; Scilicet Dei institutum impunitatis arguunt, faciunt ut & alii arguant; Sub prætextu cœlibatus, Sodomitam

domam & Gomorrham refodiunt; faciunt, ut & alii refodiant; Scortorum complexibus se inquinant; faciunt, ut & alii inquinentur. Denique èd impudentiae delabuntur, ut scortum in Supellecili foveant; Conjugium eminent. Quod neganti, Costerus. Enchir. cap. 17. prop. 9. testatur: inquit enim: *Gravitus peccare sacerdotem, si uxorem ducat, quam si domi concubinam foveat.* Sic Bellar. Sic Cornelius à Lapide quoque.

XXVI. Atque sic hactenus Propositionis illius secundæ, sup. Thes. xvi 11. Generaliter propositæ, Duo priora membra: (scilicet, Quod Votum Continentia Papanum 1. De rebus Impossibilibus. 2. De rebus Deo invisiis fiat) satis fusè probata, & cum Adversariorum Argumentis, suis locis occurrentibus, pertractata, reor. Tertium sequitur probandum: Quod scilicet: Votum idem Continentia Papatum, fiat à Personis alieni juris: cum videlicet Liberi, invitit Parentibus, Vitam monasticam vovent, aut suscipiunt. Quod etiam propter sequentes rationes fieri debere pernegamus. 1. Q. id multum Reverentia, obedientia & Fidei Parentibus debitæ, præjudicat 2. Q. Solummodo Parentum improbatio poterat in. V. T. Liberorum vota, alias Deo grata & accepta, irrita facere. Num. 30. 5. 6. Quod in N. T. perinde habet locum. 3. Q. Mos ille Pharisæorum, quo liberi se, aut sua, Deo sacra faciebant, graviter à Christo Salvatore reprehenditur. Marc. 7. 12. 13. 4. Q. Et ratio evincit, neminem absolute Deo vovere posse, quod suum non est. At Liberi non sunt sui ipsorum, sed parentum possessio. Psal. 127. 5.

XXVII. Nec quicquam Causæ Levandæ Pontificiorum patrocinantur, quæ interdum ex Sacris proferri solent. 1. Scilicet, Deut. 33. 9. Legitur, *Levitæ non cognovisse Fratres, Patres suos, & Mares suas.* Hinc inepte concludunt. Ergo liberis, parentibus invitit, & nunc Monasteria ingredi licet. Q. quod Levitæ propter impurum cum Moabitis commercium Num. 35. 5. 7. 8., nullò respectu personarum habitô, quosvis five parentes, five Fratres, obvios occidebant, ad hoc, Speciali Dei præcepto, obligabantur. Sed hodiè, tali casu non existente, nec ad id Formaliter; nec ad Vitam Monasticam, Dei mandato, quisquam obligatur. Quintimò apertum cuivis intuenti præceptum: *honora Patrem Tuum &c.* 11. Cum & ex Matt. 10. 37. Christi Dilectionem, supra Parentes objectant: Falsò supponunt: illis votis, dilectionem Christi ostendi, Deoque obedientiam præstari. Q. Deus talis vitæ Monasticæ, verbô suo, Author non est: quin potius, Dei obedientia, & dilectio Christi ostenditur: si Parentibus suus honor, juxta ipsius mandatum, præstetur. At qui sic vota Monastica evertuntur potius, quam stabiuntur. Nec ex Luc. 16. 26. aliud Concluditur. Q. ibi quoque verba Christi, non simpliciter, sed comparate sunt intelligenda. Quomodo etiam, quandoque persone conjugii vinculo aliis obstrictæ, atque ita sui juris non existentes, obligatione istâ susque deque habita, vitam monasticam voveant & ingrediuntur, hic loci, brevitatis studio, non persequar.

XXVIII. Sic breviter de Voto Continentia: Juxta ordinem institutum sequitur

tur VOTUM PAUPERTATIS Spontaneæ: quod est ejusmodi pollicitatio, quâ homo Papanus, Sponte suâ, omni bonorum proprietatum jure & usu deposito, se ad vitam fucatâ paupertate traducendam, ut eô ipso magis jejuniis & precibus vacare possit, obstringit. In hâc Descriptione Tria, præ cæteris, Speculanda veniunt. 1. In quâ re Paupertas illa consistat, examinare; 2. An ejusmodi paupertatem vovere sit licitum & laudabile, inquirere; 3. Quis præcipiuus denique Finis talis voti habeatur, examinare.

XXIX. Quantum ad Primum: Paupertas illa in Definitione, suâ Formalitate duos comprehendit Terminos: Unum *a quo*, alterum *ad quem*: qui conjunctim in Subjecto, scilicet, aliquo homine Pontificio, deprehensi, Cucullam aculeatam, vertici circumtonso infigunt. 1. Terminus itaque *a quo*, est qualiumcunq; bonorum proprietas, eorumque legitima possessio: quibus ultrò abdicatis, homines Specificati, Voto, tanquam forti, Monachorum, falso Religiosorum dictorum, muro, se, perpetuò includunt, & inextricabiliter cingunt. 2. Terminus *ad quem*: est perpetua & misera, (si ita dicere fas sit, ebullientem culinam) egestas, in quam se, præcipes, Sponte suâ, (si non ex desperatione, quæ ut plurimum Monachos facere solent, & præsentium tædiô, aut imprudenti festinatione) dare solent. Sæpe namque, quæmadmodum pisces, lusitando nassam subeunt, egredi nequeunt; sic Monachi, vel desperatione, vel præsentium tædiô, vel præcipitantiâ eò adiguntur, ut pudore & modestia ibi retineantur perpetim.

XXX. In hâc vero Monachorum votiva paupertate duplex actus considerari potest: *vel* enim proprietatem & jus bona possidendi, secundum quid tantum, persona vovens deponit & abdicat: relinquit enim Communitatî; & tandem communis tanquam boni, cum illis, usu, potitur: *vel* Simpliciter. Unde hi mendicantium nomine cluent, viatum ostiatim emendicantes. Prior paupertas ad meram illusionem adspirat: quia illâ paupertate irâ illi Monachi afficiuntur, ut nullâ re egeant: verum communes divitias habentes, splendidè alantur, pinguis abdomina saginant, & splendidè vivant: quales sunt omnes Monachi Benedictini, Carthusiani, & alii. Posterior vero hypocrisim sapit. Non enim desunt fictæ & simulatae austeritates apud tales plurimos: qui Curios simulant, & Bachanalia vivunt.

XXXI. Ut autem nativo colore, ista eorum hypocrisis, ulterius depingi queat, in Causam Efficientem Voti hujus Paupertatis, merito inquirendum puto. Vovetur ergo, 1. *Vel* à Paupere simpliciter; *vel* 2. A Divite: Ille cum huic voto se adstringit, minus quidem despere videtur: verum Deo Opt. M.S. gravissime illudit. Suæ namque paupertatis, sub voti prætextu, remedium querit: qualiter & Ignatius Lojola, post omnes facultates, bellò consumptas, fecit. Hinc à S. Hieronymo dicitur: Clerici eas possident sub Christo paupere opes, quas sub divite Diabolo non habuerunt: ut suspirere eos Ecclesiæ divites, quos mundus tenuit ante mendicos. Quid si maximæ partis Monachorum hodiè luxum videret? quibus (cheu taliter pauperibus!) id cordi est, ut pinguis jura sorbillent, delicati jaceant, omnia nitida & opiparè parata habeant: verbo;

verbō; nihil ipsis desit. *Hic* dum paupertatem vovet, majorem quidem devotionem ac ille, scilicet pauper, præ se ferre videtur: verum nec hic quicquam agit. Etsi enim sua bona relinquat, eorum tamen loco communionem divitiis affluentem ingreditur, talibus redditibus fruitur; ut quamdiu ignis purgatorius flagret, ollam perpetuam ebullientem habeat.

XXXII. His ita in datus: quæritur jam *Secundo*: An talem paupertatem vovere sit licitum & laudabile? Ad quod, propter sequentes rationes, Respondeo negando: Nego quippe; & paupertatem ejusmodi, seu egestatem voven-dam, & optandam esse, homini Christiano, constanter, pernego. Q. *Spiritus Sanctus*, per os Regii Prophetæ Davidis, *Psal. 34. 11;* & *37. 20,* *21.* & *109. 10.* Paupertatem hostibus Dei, tanquam miserabilem peccatorum pœnam, imprecatur, & minatur. Quapropter etiam sapiens Agur eam, tanquam periculosam Virtutis & Exercitiorum pietatis Syrtim ac minacem scopulum, *Prov. 30, vers. 8, 9.* deprecatur; ut quæ inter maledictiones numeratur, *Dent. 28.* Quod vel inde probatur: Q. Dominus Salvator quoque nisi in paupertate, aliquid maledictionis subesset, pro nobis, ut nos ditaret. 2. *Cor. 8. 9.* pauper factus non esset. Probatur porrò: Q. *Sanctus Paulus Beati-tudinem minorem tribuit pauperibus, Att. 20. 35.* cum dantes beatos prædicat. At pauperes dare non possunt. Ergo. Sed insuper Regulæ à Spir. Sancto. 2. *Thess. 3. 10.* expressæ contrariatur maximè: ubi in Speciali & licita vocatione, si quis non operetur, comedere vetatur. Nec aliud Deus voluit significare, cum in Vet. Testam. pauperes esse noluit. *Deut. 15, vers. 4.* quamquod ejusmodi vitæ genus ipsi gratum non sit: quod etiam satisficeri, voluit legi *Genes. 3. vers. 19.* expressæ: ubi inquit: *In sudore vultus tui vescere Pane tuum:* adeoque neminem possessioni boni proprii renunciare, donum gratuitò datum respuere vult.

XXXIII. Sed & præterea Votum mendicitatis meritò damnatur. Q. est contra illud generale votum, in Baptismo sacro suscep-tum. Siquidem funditus vitæ humanæ finem evertit; officiorum faciendorum, lege morali præceptorum, ansam præripit: cum scilicet dupli vocationi satisficeri vetat. Primo, Generali; quia Deus indefessè colendus, ac proximi officia Charitatis, essent præstanta. Secundo, Speciali; quia, juxta mensuram doni, à Deo accepti, quivis, vitæ Communi servire, vel in Ecclesiâ, vel in Repub. teneretur, & hoc præstare nequit: Quæ duç vocationes ita recipiuntur, ut Prima in secunda: Secunda vero in & cum Primâ, perfici debeat. Q. vitæ Christianorum scopus, est servire Deo; non tantum præstanto obedientiam Primæ Tabulæ: sed etiam inserviendo hominibus, per observatio-nem mandatorum Secundæ Tabulæ. Et hinc est illud: quod dilectio Proxi-mi, impletio legis appelletur: *Rom. 13. 10.* Nec enim cultus Deo debitus, solus & separatim p̄ficiari potest: verum in & cum amore proximi.

XXXIV. Ut ut verò Votum hoc Paupertatis ita dēnsō Argumentorum agmine, nobis reprobatum sit: nihilominus tamen, non omnem absolu- tē paupertatem respuimus. Scilicet: 1. Quæ Spiritualis diætæ instar no- bis à Deo immittitur, eam, omnibus mundi Thesauris, pro Nomine Chri- sti, præferendam esse, statuimus. 2. In magnis opibus, Frugalitatem & Temperantiam paupertatis, esse retinendam, non negamus. 3. *Affectū* & voluntate magis, quām *Efectū* paupertatem, pro Christo, subeundam esse, dicimus. Nam qui priori modo pauper non est, nunquām salva- tur: posteriori verò, qui pauper est, fieri potest ut salvetur; & contra. 4. Nec Veteres Monachos in ipsorum paupertate (*propter hoc Votum*) sim- pliciter condemnamus; licet multa eorum facta quoque displiceant: 1. Q. Illi non erant ventres ociosi. 2. Q. Ex illis non pauci erant Conjugati. 3. Q. In cibo, potū, vestitu, Votis, toto denique vitę cursū, à nostrī temporis Monachis differebant.

XXXV. Recedunt ergò non tantū ab illis, & à nobis; verū & à veritate, moderni Monachi ineptè: qui non tam *Affectū*, quām *Efectū* externam Paupertatem voluntariam subeunt: quam & esse Virtutem; & in Euangeliō præcipi vel consuli, magis, quām reliqua duo Vota, (de quibus ne ~~yē~~) sequentibus Objectionibus probare nituntur frustrā. 1. Q. Dominus Salvator, ex cuius paupertate mendicitatem concludunt male; nihil illos juvat. 1. Christus enim, utut fuerit pauper, non tamen men- dicus: quod Judæ œconomia & Dispensatio; Loculorum gestatio, Ioh. 13. 29. (quos etiā ducentos illos denarios, Ioh. 6. 7. commemoratos, continuisse; & ex iis, vel etiā alii, Discipulos cibum emisse Ioh. 4. 8. non est absurdum) manifeste probat. 2. Dico nihil juvare: etiam si Christum fuisse mendicum, daretur: Q. ejus paupertas fuit expiatoria, & passionum ejus non pars ultima, teste Paulo, 2. Cor. 8. 9. Ac proindè à Christo ad Monachum argumentari, non est consentaneum.

XXXVI. Objiciunt 2. Locum *Matth.* 19. 3. Verū & indè Votum perpetuę paupertatis falsò infertur. 1. Q. ad Christum sequendum om- nia relinquere, non est, nihil proprii, sive privatim, sive in communi, reti- nere debere. 2. Q. Nec Discipuli Domini Jesu reliquière omnia bona, in perpetuum; sed ad Tempus. Sic Petrus rediit ad suum rete. Ioh. 21. 3. & cum Collegis suis pescatus est. Sic Johannes Christi dilectus Discipu- lis, domum suam ac bona sua retinuit. Dicitur enim, Ioh. 19. 26. 27. Virginem Sanctam sibi commendatam eò deduxisse. 3. Q. Apostoli ne- cessitatem omnia relinquendi, non sponte suā, & ex voto, qualiter Mo- nachi, sed ex Christi præcepto, & pio cordis affectu, sibi imponebant. III. Sed & ulterius ex vers. 21. candem paupertatem, expresso consilio, præ- scribi,

scribi, falso inferunt. 1. Q. *Abi*, *vende omnia*, &c. manifestum Præceptum est. 2. Q. illō præcepto voluit Christus ipsum Adolescentem, propriè arrogantiaz & præsumptionis duntaxat convincere: ac proindē Universale non fuit. Sed esto: dicant esse Universale: Jām itā omnes in mundo existentes Christianos paupertatem vovere, & mendicantes Monachos fieri debere, sequetur; Sicque non ad solum Monachorum ordinem pertinere. IV. Nec usque adeò plus ædificantur, citatō loco, *Luc.* 14. 33. Ubi Dominus Servator ait: *Si quis non valedicit omnibus bonis suis, non potest esse mens Discipulus.* Q. id non non solum Monachis, sed omnibus Fidelibus dictum est: *qui, casu, Iquo, ex vita sua & bonorum conservatione, Christi abnegatio colligi posset; potius & vitam, & bona omnia, relinquere, atque abnegare, quam Christo, vita Authori, omnium bonorum Datori, non adhærere, & ab ipso deficere, debent.* Sensus ergo loci est: fideles bonis suis mundanis, tali tantū affectu frui debent, ut summā necessitate postulante, illa omnia, imo & vitam, propter Christum, deserere velint.

XXXVII. Verū denique præ ceteris, nonnihil præsidii collocare gaudent, in locum *Matth.* 5. 3. taliter argutantes. Salvator ibi dicit: *Beati pauperes Spiritu* &c. Ergo voluntaria paupertas rectè suscipitur: quia verò soli pauperes sunt beati, & eam soli Monachi voveant: soli quoque Monachi beati sunt (siccine sibi ab blandientibus) ulterius concludunt. Sed quā falluntur! rem acu tangentis minimè: Q. hīc loci, paupertas, quæ commemoratur, longissimè distat ab illa Monachorum paupertate, quæ ultrò suscipitur. In illa namque summa contritio, & humilitas; in hac alta superbia & tumor: illīc tristis gemitus: hīc elatio voluptuosa: illīc affectiva paupertas intelligitur; hīc effectiva cernitur. Macte igitur *Augustinus* & *Chrysostomus*, in Thomæ catenâ explicant! Sunt, inquiunt, pauperes Spiritu, qui procul a Superbia & tumore, sentiunt suam paupertatem Spiritualē, & sub illa gemunt. Hæc eadem Glossæ interlinearis sententia quoque. Johannes Ferus Papista, etiā suo, in hæc verba, commentariō, sic inquit: *Pauper Spiritu est, qui miseriam suam agnoscit & peccata, videt se Dei judicio obnoxium, & id timet.* Interjectis duabus periodis vicissim sic: *In summa: paupertas est profundissima humilitas; & ante Deum, ut ita dicam, nihilitas, &c. nihil sibi tribuens; sed omnia in Deum referens, cuius omnia sunt.* Camusius Bellensis Episcopus quoque lib. De paupertate Euangelica, cap. 10. citatis, pro se, aliorum Doctorum, sententiis, intelligit hīc paupertatem affectivam, verè Euangelicam, quæ cum usu & possessione divitiarum compatibilis, cum sit, absque voto exerceri potest. Quare nihil vetat

in opibus Regiis constitutos , pauperes Euangelicos esse ; ut fecit David . & alii . &c. Cæteròquin si affectiva paupertatis deberet hic intelligi : Quis beatior Diogene Cynico esset? qui Spontaneâ paupertate , dolium habuit pro domo; manum pro cochleari.

XXXVIII. Ità paucis de hâc etiâ Secunda quæstione egimus. Superest Tertia : Videlicet , Quis præcipius Finis Votivæ hujus Paupertatis sit ? De quo , prout ex Definitione , Supr. The. x x v i i . data , colligitur , sic ajo : Spontanea Paupertas suscipitur in hunc *Finem Proximum* : ut Monachus Orans & Jejunans , bonorum Mundanorum deliciis , quasi totidem Tricis , in Jejunando & Orando , aliisque pietatis exercitiis , minus impediatur. Sed Papè ! Quantum mutatus ab illo ? Tanta enim impietate , & *Preces & Iejunia* , apud illos , involvuntur ut ob ejus Nubes Tenebricolas , vix è medio hæc tanta bona emicent. Cui probâdo , saltem quoad preces , si animus ferret , sique stricta papyrus pateretur (*tum* quoad *Ef-sentiam* Precum ipsarum : quatenus id Deo obtrudunt , quod preces reverâ non sunt , ut A V E M A R I A . &c. *Tum* , quoad objecta precum : quatenus multifaria idololatria , in iis occurrit : nunc ad Angelos ; nunc ad homines , nunc ad res inanimatas ; nunc ad Entia Facta eas dirigen-do ; Denique , *tum* quoad Modum : quatenus veræ preces quoque male ad verum Deum diriguntur) densam Argumentorum nubem effundere valorem.

XXXIX. Hoc idem igitur brevitatis studium , longam moram non fentis , breviter tantum , in Ulteriore Spontaneę paupertatis Finem , Cui Grex Monachorum , jàm sup. Thesi præfatum , substratum esse vult , inquirere jubet. Proindè paupertasilla , vovetur in hunc Finem præcipuum , ut in gratiam Thesauri facti , in nudâ Monachorum Phantasia cusi , Æra-rium , ex alto fundamento , eductum , condant ; meritis suis superabundantibus , impleant ; in solutionem debiti aliorum , quorum scilicet , bur-sa prægnans parturit , convertant ; & sub tali prætextu , viduarum domos exedant : ut sic lautiùs insatiabilem suam iporum ingluviem referiant , saturent. Tantæ virtutis & beatitudinis , susciperere Votum paupertatis est ! Verbo : Finis Voti hujus paupertatis est , Thesaurum congerere ; ex eo Nundinationem illam fallacem exercere : qui Monachorum , ex suis Meritis , congestus Thesaurus , & ex eo facta nundinatio , è dia-metro Meriti & Satisfactionis Jesu Christi , stantes , ultrò corruunt , evanescunt. Sed quia hæc ipsa Chartam uberiorē , occasionem fertiliorem , desiderant ; singuli ratione , tandem aliquandò , Novò Titulô , Deo juvante , gau-debunt.

X L. Restat

X L. Restat jàm demùm, ex tribus illis Famosis Pontificiorum Votis , Tertium ; quod est REGULARIS OBEDIENTIAE, tractandum : cuius communis Definitio hęc esto : Votum obedientia Regularis est , quō Monachi , suis Superioribus , seipso, in Conscientia regendos , omni limitatione boni vel mali exclusa , in omnibus actionibus & Officiis , que Regula Monachali comprehenduntur , resignant & obstringunt. In quā Descriptione , inter cetera , ad hęc collimare volo : 1. A quibus ejusmodi Vota usurpari soleant ? Ubi Causam Efficientem ; 2. Quibus illa , in Voto facta , resignatio fieri soleat ? Ubi Objectum Terminans invenio.

X L I. Primum itaque quod attinet : Regularem hanc obedientiam , vovent : Vel , In Genere omnes Papani homines , Impropriè tamen , quatenus scilicet non expidentes , quid utile ; vel decens , vel Deo amicum ; vel naturæ conveniens , vel cum veritate concordans sit , per fas & nefas , credere se obstringunt. Vel in Specie , & Propriè Monachi tantum , quorum verticibus calvis , Spontanea paupertas , non ità pridem , cucullam pilosam infixit , ad omnem commentitium ordinem observandum , sese , omni jure conscientia deposito , obligant. Qui utrique , commento , Legi Divinæ , hoc tūm Naturali , tūm Positivę magnopere contrariantur . 1. Naturali ; Q. seipso non solum in servos , sed etiā in Bestias transformant ; se omni voluntate , & intelligentiā Spoliantes. 11. Positiva ; Q. Potius obediendum esse hominibus , eorumque Regulis , quām Deo & Sacræ Scripturę , sic docetur : quod revera facit Bresserius Jesuita , in suis Axiomatib. lib. 4. de Consc. cap. 14. Obediendum , inquit , Superiori , etiā dubitetur non tantum an pricipiat illicitum , &c. Sed etiam quatenus contrarium , Legi Divinae , Naturali , vel Positiva , etiā gravissime. At Sacra pagina , & de hominum præceptis judicium Discretions requirit , 1. Thess. 5. 21. 1. Ioh. 4. 1. 1. Cor. 10. 11. & Deo potius , quam hominibus obediendum esse docet , Actor. 4. 19. Disertè insuper ait : Ne estote servi hominum ; 1. Cor. 7. 23. Quō dicto , Apostolus vetat corda & conscientias , in iis , quæ ad Religionem pertinent , legibus & statutis humanis , mancipari . Quod tamen omnes Monachi pervertunt , suas conscientias , per Votum , subjugando. Quod verò hic excipiunt : se servos hominum non facere ; sed justitiæ ; Ad id Resp. 1. Imò verò hominum sunt servi ; quia institutis hominum adhærescant : quod non est justitiæ servire. 2. Q. Justitiæ Deo debitæ norma , est lex Dei , non Dominicana , Franciscana , vel Lojolitica Regula.

X L I I. Nec si in sui præsidium (ut etiā solent) Locum *Matth.* 16. 24. arripiant , multum proficiunt . 1. Q. Christum sequi , non est consilii ; sed præcepti , ac proinde omnibus servari cupientibus , sive seculari , sive Monacho , necessarium . 2. Quia soli Deo & Christo , omne judicium & voluntatem subjecere debemus necessario , 2. Cor. 10. 5. sequitur alteri , præter ipsum , hoc fieri debere , esse perabsurdum ; cum , legitimis Superioribus quoque , nonnisi usque ad Aras obediendum sit . *Acto.* 4. 19. Frustrè detorquent & illud *Luc.* 10. 16. *Qui vos audit , me audit , &c.* ad Ordinum Superiores . 1. Q. Monachi quilibet , non docendi , sed plangendi , officium habent : Hieronymo Epist. ad Riparium sic inquente . 2. Audiendi sunt quidem Apostoli , & eorum veri Successores : sed quatenus Christus per illorum os loquitur ; & idem Euangelium annunciatur . At in Prælatis , & Jesuitis , contrario modo , se res habet , cum nec à Christo sint instituti ; nec Regulis ejus , sed Ignatii Lojolæ , & aliorum ejus furfuris , Regulis Christi contradistinctis , conscientias suas mancipent .

X L I I I. Similiter nervus eorum rumpitur , cum ex *Ier.* 35. 6. hanc obedientiam concludere volunt . 1. Q. Obedientia Monachalis , ex hypothesi , est actus Religionis elicitus . At Rechabitarum obedientia erga parentem suum , (si modò præceptum ejus fuerit mere humanam) erat tantum actus Religionis imperatus . 2. Q. Tirinus Jesuita præscriptum Jonadabi negat in *rigore præceptum* fuisse . At Monachorum obedientia , solis superiorum præceptis , in rigore debetur . Præcipitur denique & *Hebr.* 13. 17. obedientia , sed non votiva ; non perfectionis Monachalis ; nec certi alicujus ordinis hominibus tantum : ut sunt Monachi : Sed obedientia , vi Quinti præcepti exacta ; obedientia ab omnibus , piis & Fidelibus Pastoribus , quibus Deus curam animarum demandavit , usque ad aras , præstanta . At nulli Monachorum (saltem qua tali) divinitus est demandata animarum cura : cum omnes Abbates , Priors , & Rectores , &c. quibus in Claustris obedientia vovetur , extra ministeriu Ecclesiasticum sunt constituti . Juxta Hieronymum inquietem ad Heliodor . *Alia est causa Monachi ; alia Clerici : Clerici oves pascunt ; Ego Monachus pascor.* Ex quibus his omnibus , votivam obedientiam nullum in Sacris habere fundamentum , concludo .

X L I V. Quod Secundo jàm attinet ad 'Objectum Terminans' hujus votivæ obedientiæ , proximè super. duabus Thesibus refutatæ ; non est Deus (ex eorum mento loquor) cui tamen omnes Christiani , juxta pollicitationem in Baptismo factam , suam obedientiam debent : Sed male seriati Abbates , in Claustris , Rectores , Generales , & Superiores ordinum :

num: Atque antecedenter horum Parentes, qui fuere Franciscus, Dominicus, Ignatius Lojola, Benedictus, &c. A quibus oriunda, discolor & variegata (*Hungarice Tarka, barka*,) Monachorum turba, Authore Casmufio, in *xxxiv.* Ordines distinctos, in Communione Romana distributa; More Corinthiorum dicentium: Ego Cepha, Ego Pauli, Ego Apollo sum. &c. infinita Nomina sortitur. Unde, prout uniuscujusque Regulis mancipantur, quasi Christiano nomine ejuratō, tanquam indigno tanto supercilie, quidam Benedictini; quidam Dominicanī, quidam Lojolitæ; in genere Religiosi, nominantur. Quas Pseudo-religiones Monachales, ut hactenū, origine: sic instituto, ritibus, vestibus, & coloribus, (quæ brevitatis ergo non attingo) distinctas, tanquam à S. S. Dei Verbo alienas, & pro libitu hominum, erroribus obnoxiorum, confictas, damnamus, proscribimus, & ex animis Christianorum, penitus eradicas & ejectas cupimus.

X L V. Nihil moramur quoque objectiones, quæ hinc indè, è Sacro Codice, violenter extorqueri solent. *Tum* quia fundamenta, quibus illa niterentur, ut plurimùm jàm in antecedentibus sunt everfa: *Tum* quia, quæ ulterius congeri solent, facile difflari possunt. Sic I. Apostolos concedimus primos fuisse, qui Christi Religionem secuti sunt & professi; sed citra omnem Monachatus speciem. Q. Conjugati permanerunt; Uxores circumduxerunt; I. Cor. 9. 5. Bona possederunt; Matth. 8. 4, &c. II. Quantum ad Fideles Hierosolymitanos attinet, quorum mentio fit *Aetor.* 4. 35. Eos negamus Monachos fuisse: I. Q. erant Conjugati. 2. Q. in urbe manebant. 3. Q. Communitate fruebantur. At hec utraque à Monacho abesse debent: cuius nomen solitudinem significat. III. Philippi Filias quoque negamus Monachas fuisse, *Aetor.* 21. 9. I. Q. in Patris ædibus habitabant; non solæ in Claustris. 2. Q. Libertate Conjugii privatæ non fuerunt. IV. Perindè Johannem Baptistam Eremitam fuisse negamus. I. Q. hominum conversationem non fugit: Verum baptizavit; publice prædicavit; aulam Herodis etiām adiit. At Monachi & Eremitæ aliter facere debent. 2. Etiamsi fuisse Eremita (quod ramen negamus) ejus extraordinaria vocatio in Exemplum attrahi minimè debet. V. Merito & Naziræorum Monachatum rejicimus. Num. 6. 2. I. Q. Naziræatus non erat perpetuus; ut vita Monastica. 2. Q. illi erant Conjugati; hi non. 3. Q. illi à vino abstinebant; hi pro eo certant. VI. Denique Samuels Monachatum diffitemur. Q. Magistratum administravit, Conjugatus fuit, Filios genuit.

X L VI. Quapropter, ut ex his, Monachatum, nullum in Sacris Litteris habere fundamentum, certò colligo: sic ex aliis omnibus antecedenter tractatis,

tractatis, de hoc toto Regularis obedientiæ Voto, cum reliquis duobus (per quæ etiā Monachi apicem perfectionis attingere sibi blandiuntur) idem verissimè concludo. Jam ad extreūm restat, ut sub Consiliorum Euangelicorum gloriâ, non amplius militantes, nec umbram in natæ perfectionis, frustrâ sectantes: in Praeceptis Jesu Nazareni, non in Naziræorum Exemplis, novum querant Consilium: quo edocente, ad perfectionem omni numero & gradu absolutam, in cœlis, non in Castris, adspirare, Universa Regularium turba, nitatur. Ne ut cum Criophago, quadraginta annorum spacio, in fossâ, hordeum comedente, & cum Accepitma, hexaginta annos, cellule suę inclusu, vitam fusterstiosam, absque verâ pietate, & Charitate, in Eremis aut claustris transfigentes, (ubi alii alios juxta 1. Thes. 5. 11. Exhortari, atque edificare: & Hebr. 10. 24. observare, & ad pietatem acuere, non possunt) coram Throno Domini Jesu, respondere, nesciant.

C O R O L L A R I A.

I.

Pontificia Babylon omnes pene mundi thesauros, suis Fraudibus & Imposturis, Indulgentiis videlicet & Jubilao, modisque alius mirandis, in se transfundit: unde merito Papa Romanus Avarus, Regnum ejus Totum Mercatura mera & Nundinatio foeda dicitur.

II.

Talis vero nundinationis, Coryphaeus est Papa, qui ex innumerabilium animarum eterna perditione dives & pinguis factus est.

III.

Gregales ejus sunt Clerici, Locustæ Vastatrices, qui ex ignorantie, Superstitionis, hæreses, & Idololatria, Fumo nati, potestatem accipiunt, tanquam Terristres Scorpis, ladendi & perdendi homines, signum Draconis in frontibus suis non habentes.

IV.

Qui, et si Lojolite, Doctores Catholici, Patres Reverendi, Salutentur: imo pro Iesu Christi Sociis flagitiose, pariter, ac blasphemæ, se vendident: tamen Sp. Sanctus eos appellat, Immundos Daemoniorum Spiritus, signis mendacibus & verborum Ampullis, imperitum Vulnus seducentes.

V. Aqui-

A quibus, & ab eorum impurâ Synagoga ob Impuritatem ejus Spiritualem Secefsum quidem: sed non a Christo & vera ejus Ecclesia. Et enim Pontifex Romanus, magnus ille Ovium Praedo, qui prius defectus a Domino: Nos autem Oves Dominice defecimus a Pradone. Ei ille omnis defectionis caput execrandum Magnus ille Apostata, qui a fide Apostolica vere Romana, & primitiva integritate jam saeculis aliquot, prior secesserat. Nos autem non nisi, post multas obtestationes, post diutinam Reformationis postulata expectationem, in vita, anathemizati, extrusi, omni genere servitiarum compulsi, Iuxta. Es. 52. Coll. 2. Cor. 6. 16. 17. Apoc. 18. 4. ab Apostata secessimus: Quod propriæ renunciatio Apostasie, non Defectio, dicitur.

Honori & gratia Familiari Ornat.

D. R E S P O N D E N T.

*S*ipia degeneres, fatuis dabit ignibus auras
Lux; animos stygiâ, nocte Caligo premet.
Exulat ingenitus plorati pectoris ardor.

Cymmerioque rigent interiora gelu.
Empyreos penetrare nequit sic cœca recessus,
Jactaturque Arismens gemibunda Vagis,
Si sapuisse volet, mentitæ libat odorem,
Fumat cùm Voto myrrha Sabæa Dex
Si favcat bello, paci, formidet Averni
Pestem, Fictitiis litathonore Diis.
Thure tuas UMBROSA PALUS, sic itur ad Aras!
Umbram profumo Styx Phlegetonque vomes!

Dabat

MICH. N. S A R P A T A K L

P R E S T A N T I S S. D O M I N O
D. R E S P O N D E N T I

Amico Singulari.

Almis theatraли quamvis defixa sedili
VIRTUS: Puniceo sitque locata Polo;
Rite tamen roseas, niveae VIRUTIS ad arces:
Si volumus recto, possumus ire pede.
Xiteris emeritus VARADI! VIRTUTIS ad arces,
Dum seris Hunniaco semina diva solo.

Amicō calamitabat

JOHANNES DADAI,
Transylvanus.

m. z. m. 8. p. p. nia

